



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

VII. De Episcopi babitu decenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

zelus. Præstat utique idololatriam, quæ excindi non potest, tolerare, quam everfas videre Ecclesias, aut persecutionibus eas subicere. Rectè de hoc Abdæ facto iudicat Theodorus *d. l.* Ego verò, inquit, *Pyreum quidem intempestivè ab Episcopo destructum fuisse fateor. Neq; enim divinus Apostolus, cum Athenas venisset, & urbem simulacrorum cultui deditam esse vidisset, aram ullam Deorum, qui ab iis colebantur, evertit: sed illorum errorem verbis coarguit, & veritatem demonstravit. Quod autem eversum fanum minime instauraverit, sed mori maluerit, quàm id præstare, id equidem admittor. & coronis dignum iudico. Igni enim templum extruere non minus esse censeo, quàm eundem adorare.*

CAP. VII.

De Episcopi habitu decenti.

I.

Paulus Apostolus *1. Tim. III, 2.* Episcopum vult esse *admiror*, h. e. benè compositum, honestum, gravem, sive ut Theodorus notat, ornatum & locutione, & habitu, & adspectu, & incessu, ut etiam per corpus appareat animæ moderatio. Opponitur id vocabulum habitui lasciviam præseferenti, item rusticitati. Cumque gravitas non in moribus tantum & gestibus sese conspicendam præbeat, sed vel maximè in vestimentis, cum virum gravem haudquaquam deceant vestes verficolores & delicatæ, consistat, inde leges Ecclesiasticæ utrumque gravitatis speciem Clericis observandam præscribat. In Concilio Carthaginiensi IV. *can. 45.* apud Gratianum *dist. 41. in fin.* tale igitur decretum: *Clericus professionem suam & in habitu & in incessu probet: & nec vestibus, nec calceamentis decoram querat.* Decorem, h. e. elegantiam affectatè nimis & delicatè excultam. Ornatum enim, qui sanctitatem decet, nulla omnino prohibuit lex Ecclesiastica. *Nec affectat a sordes*, inquit Hieronymus *ad Nepotian.* *nec exquisita delicia laudes parvunt.*

II. Non parvi certè momenti est, in gestibus dignitatem aliquam servare posse, quæ tacendo loquatur, & quasi mandando in sui admirationem & reverentiam auditores & spectatores constringat. *Quippe non manus solum, ut ait Quintilianus *lib. 11. cap. ult.* sed nutus etiam declarant nostram voluntatem, & in mutis pro sermone sunt, & saluatio frequenter sine voce intelligitur atq; afficit, & ex vultu progressus, perspicitur habitus animorum, & animalium quoq; sermone carentium ira, lætitia, adulatio ex oculis & quibusdam aliis corporis signis deprehenditur, &c.* Optimè autor Ecclesiastici *XIX, 26. 27.* *Ex visu cognoscitur Vir, & ab occurso faciei cognoscitur sensatus.*

*ius. Amictus corporis & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo. Caveat ergo sibi Episcopus, ne ex vultu, ex gestibus, ex incessu, & moribus levitas aliqua sese exlerat, aut vanitas, quæ sanctum istud, quod gerit, officium prostituat. Gravem se ubique & veluti divinum se exhibeat, ut non in sermone tantum & sententiâ, sed in nutu etiam & gestibus singularis eluceat auctoritas, quam pro re natâ comitate condat & humanitate. Illorum Episcoporum vitam detestabilem putes, inquit Petrus Blesens. *epist. 15. quorum incessus erectâ cervice, quorum facies torva, truces oculi, minæ terribiles, dominantes in clero, non forma facti gregis in populo, quorum Deus venter est. quorum vita in morte sepulta est, mendaces, vaniloqui & superbi, socii furum, non Collegæ Petri, sed Simonis, non Christi discipuli, sed Neronis, &c.**

III. Laudat Nonnechium Episcopum Apollinaris Sidonius *lib. 8. epist. 13.* à multis virtutibus, quæ tanto officio dignum faciunt. *Multa, inquit, in te genera virtutum, Papa beatissime, munere superno congesta gaudemus. Siquidem agere narraris sine superbiâ nobilem, sine invidiâ potentem, sine superstitione religiosum, sine jactantiâ literatum, sine ineptiâ gravem, sine studio facetum, sine asperitate constantem, sine popularitate communem. Præterea his hoc præstantissimum bonis fama superaggerat, quod te asserit tot gratias fastigatissima caritatis arce transcendere. Et lib. 7. epist. 4. ad Fontejum Episcopum scribit, quantas ejus laudes recensuerit & cumulaverit Vindicium ad eum missus: Prædicat, inquit, sanctas, melleas, & floridas, quæ procedunt de temperatâ communionem, blanditias: nec tamen ex hoc quicquam pontificali deperire personæ: quod sacerdotii fastigium non frangitis comitate, sed flectitis.*

IV. Magnum Batilium sine trilitiâ gravitatem præ se tulisse Gregorius Nazianzenus *in ejus vitâ prodit.* Et de Cypriano Carthaginiensi Episcopo, totius Atricæ primatæ refert Pontius ejus Diaconus, *quod ei gravis fuerit vultus & letus, nec severitas tristis, nec comitas nimia, sed admixta utrinque temperies: ut esset ambiguum, vereri plus an diligere mereretur, nisi & quod vereri & diligere merebatur.* Ipsi autem conversationi etiam mores externi convenire debent, & incessus, itemque vestitus, omnia quæ alia, quæ virum gravem decent. *Tanta, inquit Hieronymus ad Fabiolam, debet esse scientia & eruditio pontificis DEI, ut & gressus ejus & motus, & universa vocalia sint. Veritatem mente concipiat, & toto cum habitu resonet & ornatu: ut quicquid agit, quicquid loquitur, sit doctrinâ populorum: absque tintinnabulis enim, diversis coloribus & gemmis floribusque virtutum nec sancta ingredi potest, nec nomen Antistitis possidere.* Ad sensum mysticum defleat Hieronymus, & quæ in veteri Testamento præscriptæ sunt Sacerdotibus vestes versicolore, eas ad varietatem virtutum Episcopo necessariam applicat, neque intentio ejus est, Episcopos variâ veste indutos incedere de-

V. Plu-

V. Plurimi enim etiamnum extant canones, quibus de clericorum vestitu, ne in luxum ille diffunderet, decretum aliquoties fuit. In Concilio Agathensi statutum legitur: *Clerici, qui comam nutriunt, ab archidiacono, etiam si noluerint, inviti detondeantur, vestimenta etiam vel calciamenta eis, nisi quæ religionem deceant, uti aut habere non liceat.* Idem repetitum addita simul sanctione in Concilio Matilconensi l. can. 5. *Ut nullus Clericus sagum aut vestimenta aut calciamenta secularia, nisi quod religionem deceat, induere præsumat.* Quod si post hanc definitionem Clericus aut cum indecenti veste, aut cum armis inventus fuerit, à Seniore ita coërceatur, ut triginta dierum conclusionem detentus aquâ tantum & modico pane diebus singulis sustentetur. Similiter decretum fuit in Concilio Romano anno DCXLII. can. 3. *Ut Episcopus, presbyter & diaconus seculari indumento minimè utantur, nisi, ut condecet, tunica sacerdotali; sed nec dum ambulaverit in civitate, aut in viâ aut in plateis, sine operimento præsumat ambulare, præter si itinere longo ambulaverit.* Sed quod hic de itinere exceptum fuit, videtur sustulisse Concilium Quinisextum in Trullo habitum can. 27. *Nullus eorum, qui in Cleri catalogo relati sunt, vestem sibi non convenientem induat, neq; in civitate degens, neq; iter ingrediens, sed utatur vestibus, quæ antehac iis, qui in clerum relati sunt, attributa fuerunt.*

VI. Sed enim parum à Clericis observatos fuisse canones istos, & cultum habitumque minus convenientem subinde eis placuisse argumento esse potest, quod in Synodo Nicæna II. quam Oecumenicam statuunt Græci can. 16. decretum legitur: *Omnis luxus & ornatus corporeus est à sacerdotali ordine & statu alienus.* Episcopus ergo vel Clericos, qui se splendidis & insignibus vestibus exornant, se corrigere oportet, si autem permaneant, pænis coërceci. similiter & eos, qui sunt unguentis delibuti. Quoniam autem radix acerbitalis sursum pullulans Catholica Ecclesiæ suis inquinamentum, Christianos scilicet accusantium hæresis, & qui eam susceperunt, non solum imaginum picturas averfati sunt, sed omnium etiam pietatem ac religionem extruserunt, nos qui piè & honestè vivunt, odio habentes, & in iis impletum fuit, quod scriptum est: *abominatio peccatori religio & verus DEI cultus.* Si inventi itaq; fuerint nonnulli eos irridentes, qui vilem & modestum amictum induunt, pænâ corrigantur. A superioribus enim usq; temporibus omnis vir sacratu cum moderato & honesto indumento versabatur. Quicquid enim non propter usum, sed ostentatorium ornatum assumitur, in luxu reprehensionem incurrit, ut ait magnus Basilius. Sed nec ex clericis texturis variatum quis vestimentum habebat, neq; in vestimentorum fimbriis adjecta erant alteri coloris additamenta. Ex divină enim linguâ audierunt, quod, qui mollibus vestiuntur, in adibus Regum sunt.

VII. Theodorus Balsamon in interpretatione hujus canonis mentio-

nem

nem facit nonnullorum, qui, ut fraudem facerent legi, sæpè in vestitu indulgere possent libidini, distinctionem quandã, quã ab obligatione canonis liberos se esse dicerent, excogitarunt, atque eam intentioni statuentium planè contrariam esse ostendit. *Cum accusarentur, inquit, quidam Clerici splendide induti, qui vestes Samittas dictas gestabant, qua non solum diversi coloris antepannas seu simbras habebant, sed etiam auro intexta, præterea autem & sumptuosas aureas literas, dicebant quidam, editum esse canonem propter eam, qua tunc erat in Ecclesiis, rerum confusionem & multam Clericorum à pietate alienationem; hodie autem non habere locum canonem, quandoquidem DEI gratiã absoluta est Ecclesiastica constitutio & pietas, & ad DEI honorem clerici cum vestibus splendidioribus versantur: audiverunt autem se non rectè dicere. Est enim canon universalis, & qua in eo scripta sunt, debent in secula seculorum observari, & vim suam obtinere: qui verò præter eum vitam instituunt, rectè punientur, nisi corrigantur.*

VIII. Videntur autem Clerici quidam delicatiores omnibus temporibus, uti etiamnum fieri quandoque solent, ab Laicorum vestitu non multum discrepare voluisse; atque uti hi variant sæpè, novasque quotidie excogitant formas, sic etiam illos imitatione quãdam à pristina simplicitate multis modis recessisse. Idque est, quod maximè reprehendit Concilium Constantiense sessione 43. *Inter cæteros prælatorum & Clericorum excessus hoc maxime inolevit, quod præter in vestibus formã Ecclesiasticã honestatis plurimi delectantur esse deformes, & cupiunt Laicis conformari, quodque mente gerunt, habitu consistunt. Unde præter cætera, qua circa vestes, tonsuram & habitus Clericorum tam informis, quàm in coloribus, atque comam seu capillos vitamque & honestatem Clericorum jura statuunt, & qua nimium collapsa sunt, tam in secularibus quàm in regularibus sacro approbante Concilio innovamus & precipimus diligentius observare. Illum specialiter ab usum, eodem approbante Concilio, innovamus & precipimus diligentius observari: illum specialiter ab usum, eodem approbante Concilio, decernimus penitus abolendum, quod in quibusdã partibus nonnulli Clerici, & persona Ecclesiastica secularis & regulares etiam, quod magis execramur, prælati Ecclesiarum, manicas ad cubitum pendentes, & longas cum magnã superfluitate vestes etiam fissas retrò & in lateribus cum fodraturis ultra oram excedentibus etiam in fissuris deferunt, & cum talibus in Ecclesiis cum superpelliceis ac aliis vestibus ad cultum & officium Ecclesiasticum ordinatis, etiam intra Ecclesias ipsas, in quibus beneficiati existunt, non verentur divinis officiis interesse. Hanc vestium deformitatem in quibuscumque personis Ecclesiasticis reprobamus ac usum tantum inhibemus, &c.*

IX. Præterquam autem, quod etiam Laicis scandalo esse soleat ista talis sacerdotum in cultu habituque vanitas, quod observatum fuit in Con-

Con-

Concilio Melfitano can. 13. Ut omnia scandala, omnesq; occasiones Laicis subtrahantur, scissis vestibus Clericos abuti ulterius prohibemus, & ne pompis induantur exuviis, admonemus. Ipsum etiam ornatus & munditiei nimium studium, quemcunque id teneat, tantum abest, ut ornamentum det, ut potius verendum sit, ne nimia accuratio in sordes degeneret virum gravem parum decentes. Paradoxum id videri posset, nisi eleganti commentario dudum id exposuisset Johannes Sarisberientis Episcopus Carnotensis lib. 8. de nug. curial. cap. 12. Est & illa voluptas, inquit, in viro gravi notabilis ex causa luxuria, qua ornatum suum in pretio vestium, aut colore, aut forma, aut usus novitate consistere opinatur. — Alter solis lineis bruma horrores excludit, & dum omnia gelu constricta rigent, tenui sudas in cyclade, & illius delicias etiam bombicinus urit pannus, aut premit. Hic capâ tunicatior, densatis pellibus & epitogiis, chlamydi penulam superducit, & quasi conglabatus in orbem rotulari, quam incedere magis idoneus est. Ille nunc utitur penulâ, nunc campestri, id solum agens, ut alius dissimilis habeatur. Ille tantas exquisiti ornatus affectat munditias, ut nimio splendore cultus operosi, ad sordes videatur accedere. Quisquid enim dedecet, & quodammodo polluit, aut potius expellit honestatem, sordidum est, & habendum in sordibus, &c.

X. Perstringit Episcopus Romanos Ammianus Marcellinus homo Ethnicus lib. 27. quod procedant vehiculis insidentes circumspecte vestiti, & porro laudat Episcopus quosdam provinciales, quos tenuitas edendi potandiq; parcissime, vilitas etiam indumentorum & supercilia humum spectantia perpetuo numini verisq; ejus cultoribus ut puros commendent & verecundos. Talis fuit Martinus Episcopus Turonensis, qui in Episcopatu idem constantissime perseveravit, qui prius fuerat, eadem in corde ejus humilitas, eadem in vestitu ejus vilitas erat, uti de eo scribit Sulpitius Severus in vita S. Martini. Tales fuerunt alii quamplurimi sub initium nascentis Ecclesie, qui dedecori sibi esse putarunt, inter tot pauperes, qui quotidie suam opem implorarent, oblationes fidelium si in alios & proprios usus verterent. Fideles simus, inquit Origenes tr. 31. in Matth. pariter & prudentes, ad dispensandos Ecclesia reditus. Fideles quidem, ut non devoremus, quæ sunt viduarum, & ut memores simus pauperum, & occasionem accipientes ex eo, quod scriptum est, Dominus constituit iis, qui Evangelium predicant, de Evangelio vivere, amplius queramus cibo simplici & necessariis, ut ne amplius teneamus nobis, quam demus esurientibus fratribus, & sitientibus atq; nudis, & eis qui necessitatem patiuntur in secularibus curis. Prudentes autem, ut unicuiq; secundum dignitatem uniuscujusq; subministremus. Noluit Origenes, plus sibi sumere debere prælatum Ecclesie, nisi quantum pauper alius acceperit, victum solum, & vestitum ac purè necessaria.

XI. Antiquissimis & primis Ecclesiæ temporibus pallium & tunica philosophorum erat habitus. Eo etiam utebantur Christiani & maxime illi, qui adstrictiorem vitam colebant, uti discimus ex Tertulliani *lib. de pallio*, quem propterea vocat *super omnes exuvias & peplos angustam vestem*, *superque omnes apices & titulos sacrum suggestum*. At mutati mox fuerunt mores, uti colligitur ex Socratis *lib. 2. c. 43*. Eustachius enim Sebastia in Armenia Episcopus depositus fuit eò, quod vestem sacerdoti minime convenientem gestasset, quæ vestis in sequentibus verbis dicitur fuisse habitus philosophi, h. e. pallium. Sed non tam propter vestem ipsam reprehensus fuit Eustachius, quam quod reliquos veste tali non utentes damnaret. Docet id *canon. 12. Concilii Ancyran*: *Si quis vir, ob eam qua existimatur pietatis exercitationem, utatur periboleo, h. e. amictu pallii, & velut in hoc iustitiam constituens condemnet eos, qui cum pietate beris & aliâ communi soliti à veste utuntur, anathema sit*. Interpretum omnium consensu Eustachium ejusque sectatores in hoc canone perstringi notum est. Utrum autem perberos ex serico contextæ vestes intelligi debeant, uti vult Theodorus Balsamon & Johannes Zonaras, merito dubitare licet, siquidem byrrhum vulgarem vestem, & *βύρροφος* plebem infamam, tenues quirites & *ιωρακίς* fuisse, optime notat Jacobus Gothofredus *ad l. Cod. Theodos. de habitu, quo uti op. int. Urb. Conf. Carol. du Fresne in Glossar.*

XII. Et hoc quidem Tertulliano objectum fuerat, cum is Christo nomen dedisset, & togam rejectam pallio vestiretur, ut simplicitati religionis responderet cultus simplicitas, quod deteriorem conditionem amplexus esset, & à toga ad pallium se contulisset. Calumniatori illi gentili ut responderet Tertullianus, libellum illum de pallio edidit, in quo, quantum in pallio profecisse se putet, eruditè exponit. Postquam verò ad feliciorum deinceps statum pervenit Ecclesia Constantino imperante, mutari mox coeperunt tam mores Episcoporum, quam vestimenta. Idque optime notat Beatus Rhenanus *in arg. lib. de pall.* Inde natum, inquit, quod *summa apud gentiles autoritatis Viri relicto paganismo, Christiana religioni frequenter nomen dantes, pallio vestirentur*. — At hodie, commutatis in diversam rem, apud nos non solum à palliis ad togas, verum etiam ad diademata & sceptrum emerferunt, quos tamen vita frugalior sanctiorque imprimis deceret, veluti puriorem gregis Dominici partem.

XIII. Id verò difficulter persuaderi poterit illis, qui splendorem in vestimentis & alium externum apparatus illustrem, praelatis non utilem tantum sed etiam necessarium esse contendunt. Disertè ita Dominicus à Soto *de just. & jur. lib. 9. q. 4. art. 1.* Si quis nobis objiciat, debere omnes in paupertate vivere, profecto nemo est, qui huic sententia refragaretur, si possibile esset, ut tantus Clericorum numerus, quantus necessarius est, decenti san-

titatis

ditate polleret: nam tunc citra alium ornatum populo haberetur in precio. At quia id fieri non potest, necesse est conditioni humana indulgere: haud enim esse omnes possunt, ut Divus Martinus & Nicolaus, atq; adeo sic sacerdotes familiaria & auctoritate honestare, ut populus eos non despicetur, sed tanquam principes Reipublica colat. Quare nullum est indecorum, si Episcopi ceu alii Magnates vivant, & Canonici sicut alii nobiles, & sacerdotes velut alii cives. Etenim documentum huius rei manifestum est, quod in illis provinciis, ubi sacerdotes nimia egestate premuntur, vilescunt in conspectu populi, atq; inde sacramenta & res sacrae è inclinant, ubi in opprobrio habentur. Videtur hic quasi commentarium scripsisse Sotus ad illa Ivonis Carnotensis in epist. 239. verba: *Dignitas Episcopalis paupertatem his diebus honestè ferre non valet.*

XIV. Uti ex verbis Soti constat, splendor ille & ornatus externus successit in locum sanctitatis expulsi, & occultare debet improbitatem Clericorum, propter quam contemptui esse solent suis parochianis. Miserum verò vitio istius curando cataplasma, quod ex alio vitio praescriptum in modum conficitur, & magis auget malum, quam ut minuat. Carpit non semel gravissimus auctor Seneca, tum & Plinius, sericas & Coas vestes ad Viros abisile, nec putarunt illi, sanctitatem ex iis comparari posse, uti nunc quidem doceri solet. Aliud longè credidit suo ævo Petrus Damiani Cardinalis Episcopus Ostiensis, qui in epist. quam recenset Cardinalis Baronius de ann. 1061. num. 52. salè perstringit Episcopos illos, qui sacerdotali pompâ imitari velint Principes seculares: *Tadet, inquit, cetera vanitatis attexere non ridenda, sed gemenda ridicula. Fastidium est tot ambitionis ac prodigiose vesaniae dinumerare portenta, papales scil. insulas, gemmis micantibus aureisq; bracteolis per diversa loca corruptas, Imperiales equos, qui dum perniciter gressus arcuatis crinibus glomerant, fessoris sui manus loris innexas indomitate ferocitate fatigant. Omitto annulos enormibus adhibitis margaritis: praeter eo virgas, non jam auro gemmisq; conspicuas, sed sepultas. Nunquam certè vidisse me memini pontificales baculos tam continuo radiantis metalli nitore contactos, sicut erant, qui ab Esculano atq; Tranensi gestabantur Episcopis. Uterq; tamen, alter in Apulis finibus Nicolao presidente, alter in Lateranensi Ecclesia coram Alexandro, Romanis scil. Pontificibus sunt dejecti: nec eis profuit, quod pontifices lignei auratis usi sunt baculis, dum sacerdoti meritum non nitor efficiat vestium, sed spirituum norma virtutum: & non micantia margarita, vel gemma, sed mores aurei deceant Sacerdotem. Sicut enim vera sacerdotis humilitas DEUM sibi conciliat, & cetera ejus bona commendat: sic arrogantia tumor & vanitatis ambitio divinae adversum se indignationis iracundiam provocat, & contra bonum, quod aliquando forsitan operatus est, pugnat, &c.*

XV. Dignitas & autoritas, quæ ex vestibus procuratur, sanè quam vana atque frivola est, neque curari debet, qui ex neglecto habitu resultat contemptus. Ipse Christus & Apostoli, quorum successores sese jactitant Episcopi, obtinuerunt hoc, ut spernerentur. Atque id proprium esse videtur ejus, qui sanctitatem colit, & vitam vivit innocentem atque innoxiam. Et verò quid contemptis nocuit, vel contemptoribus profuit ista despicientia? Exprobratum sibi conqueritur Gregorius Nazianzenus, quod *nec mensa lauta & opiparâ, nec veste magnificâ sit usus, nec splendide in publicum prodierit, nec ad eos, à quibus conveniebatur, gravitatem & fastum adhibuerit.* Sic & Hieronymus: *Nos, inquit, quia sericâ veste non utimur, monachi judicamur: quia ebrii non sumus, nec cachiuno ora dissolvimus, continentibus vocamur, & tristes: Si tunica non canduerit, statim illud è trivio: impostor & Græcus est.* Neutrius autoritas propterea imminuta fuit: uterque mansit Ecclesiæ Doctõr eximius, & vivit etiamnum uterque in scriptis suis, cum de obrectatoribus eorum vel omninò nihil, vel parum admodum constet. Et si dicendum quod res est, vestis insignior, cultusque corporis, qui ad famam quæritur, risus movet potiùs, quàm autoritatem conservet. De qua re pleni sunt philosophorum libri.

XVI. Eleganter Bernhardus *in consid. ad Eugenium Papam lib. 3.* perstringit leges vestiarias, quas Clericis præscriperat, sed minus executus fuerat Eugenius: *Præcipimus, aisti, ut tam Episcopi, quàm Clerici neq. in superfluitate, seu inhonestâ varietate colorum, aut fissurâ vestium, neq. in tonsura intuentium, quorum forma & exemptum esse debent, offendant ad spectum, sed potius ita in suis actibus errata condemnent & amorem innocentia conversatione demonstrent, sicut dignitas exigit ordinis clericorum.* Quod si moniti ab Episcopis suis infra quadraginta dies non obtemperaverint, ecclesiasticis beneficis eorundem pontificum autoritate priventur. Episcopi verò si præfixam pœnam irrogare neglexerint, quia inferiorum culpa ad nullos magis referenda sunt, quàm ad desides, negligentibusq. Rectores, tam diu ab officio pontificali abstineant, donec pœnam à nobis constitutam clericis sibi subiectis imponant. — *Verba tua hæc tu sanxisti: quid effectui mancipatum? — Luxus vestium interdictus, sed non restrictus: pœna dictata sed minime secuta est. — Et nunc leva oculos tuos & vide, si non aequè ut prius pellicula discolor sacrum ordinem decolorat, si non aequè ut prius fissura enormis penè inguina nudat.* Solent dicere: Num de vestibus cura est DEO, & non magis de moribus? At forma hæc vestium deformitatis mentium & morum indicium est. Quid sibi vult, quod Clerici aliud esse, aliud videri volunt? Id quidem minus castum, minusq. sincerum. Nempe habitu milites, quasi clericos, actu neutrum exhibent. Nam neq. ut milites pugnant, neq. ut Clerici evangelizant. Cujus ordinis sunt? Cum utriusq. esse cupiunt, utrumq. deserunt, utrumq. confundunt, &c.

XVII. Johannes Gerfon Cancellarius Parisiensis Vir doctus & pius scripsit integrum tractatum *de temperantiâ in cibis, potu & vestibus prælatorum*. In eo disquirat de fine pompæ externæ ab Episcopis & Clericis in vestibus, in ferculis, & familiâ ostentari solitæ, eumque facit triplicem, ita ut intendatur, vel gloria DEI, vel utilitas proximi, vel honestas & autoritas Ecclesiæ. Nihil horum putat obtineri posse. Non primum, quandoquidem Deus luxum omnem detestatur: non secundum, quia ista Clericorum pompa scandalum præbet Laicis & apud eos invidiam atque indignationem excitat: non tertium, quia autoritas Ecclesiæ in spiritualibus consistit, & propter spiritualia illa honorari ea debet, non propter temporalia externa; alioquin sequeretur, Christum & Apostolos non sufficienter suam ornasse Ecclesiam. Addam aliqua ejus verba: *Porro non habet opus ista pars allegationibus scripturarum, ut doceamus, pompam esse in scandalum laicorum. Interrogetur experientia, & magnâ voce clamabit: Ita est: nihil verius est. Nam unde fuit tanta Principum & secularium devotio apud antiquos Ecclesiasticos pauperes & pannosos? Unde tantus honos: tanta reverentia? tantus cultus? Utique, quia pompas tales nihili pendebant. Idcirco tanquam apud bonos & fideles dispensatores copiosissima eis ministrabantur divitiæ: quia postquam insollescere & eis abuti cœperunt, in contraria versa est prior largitio: dico in direptionem & contemptum. Et porro: Si vero dicant Ecclesiastici, quod talia non agant ad superbiam suam vel excellentiam, sed ut conformentur illis, apud quos vivunt, non erubescant, nisi sint honorabiles inter proximos, & alios, ac ne alios scandalizent tanquam si sint avari vel hypocritice ficti, nisi se moribus conforment, videant obsecro, ne contrariantur huic præcepto: nolite conformari huic seculo, dum errores, quos corrigere deberent, imitantur. Imitanda potius est humilitas Christi, non exhorrenda, nec erubescenda vilitas, qua propter eum, in sui ipsius dejectionem sustinetur &c.* — Rursus si Viri Ecclesiastici talibus utuntur pro solo honore status Ecclesiastici, cur dimittunt tam magnam partem sacerdotum & juratorum in statu tam inculto, tam infimo & plebejo? Imò quâ temeritate ipsos spoliant & denudant? — Apud Principes & Laicos alios plus irridetur hac pompa, quàm in honore vero habeatur: repellitque fulgor hic pauperes, ne accedant ad petendum consilium, aut confessionem faciendam: Unde murmurent, invident, detrahunt, quod non facerent, si illi humiliter se gererent.

XVIII. Seculo duodecimo, quo Bernhardus floruit, invaluerant inter Episcopos & prælatos alios non vestes tantum varicolores, sed frena etiam, calcaria & reliqua ornamenta inaurata, quibus acerbò quandoque stylo insultat Bernhardus. Sic enim scribit *epist. 42.* ad quendam Archiepiscopum: *Clamant verò nudi, clamant famelici, conqueruntur & dicunt: Dicite pontifices in freno quid facit aurum? Nunquid aurum à freno repellit*

frigus sive esuriam? Nobis frigore & fame laborantibus quid conferunt tot mutatoria, vel extensa in perticus, vel plicata in manticis? Nostrum est, quod effunditis: Nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis. — —
 Fumenta gradiuntur onusta gemmis, & nostra non curatis crura nuda caligulis. Annuli, catenula, tintinnabula & clavatae quaedam corrigiae, multaque talia tam speciosa coloribus, quam ponderibus pretiosa mulorum dependent cervicibus; fratrum autem lateribus nec semicinctia miserantes apponitis. Et ad quendam Archidiaconum epist. 2. Conceditur, inquit, tibi, ut si bene deservis, de altario vivas, non autem de altario luxurieris, & de altario superbias, ut inde compares tibi frenas aureas, sellas depictas, calcaria de argentea, varia, griseaque, pellicea à collo & manibus, ornatu purpureo diversificata. Denique, quicquid prater necessarium victum ac simplicem vestitum de altario retineas, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.

XIX. Circa finem ejus seculi Innocentius III. Pontifex, ut fibulam isti luxui injiceret, edidit constitutionem, quæ extat c. 15. extra de vit. & honest. cler. Inter alia de vestimentis ita edixit: *Clausula deserant* (Clerici) *desuper indumenta nimia brevitate vel longitudine non notanda: Pannus rubeis aut viridibus, nec non manicis aut solularibus consutitiis, frenis, sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam superfluitatem gerentibus, non utantur. Cappas manicatas ad divinum officium intra Ecclesiam non gerant, sed nec alibi, qui sunt in sacerdotio & personalibus constituti, nisi justa causa timoris exegerit habitum transformari. Fibulas omnino non ferant, neque corrigias auri vel argenti ornatum habentes, &c.* Ad eundem modum decrevit Concilium Monspeliense anno MCCXIV. habitum *can. 1.* Nullus *Canonicus cathedralis vel conventualis Ecclesie vel alius Clericus de beneficio Ecclesiastico vivens frenis vel calcaribus deauratis utatur.* Et *can. 2.* nullus *Clericus cathedralis vel conventualis Ecclesie, vel alius Clericus de beneficio Ecclesiastico vivens indumentis vel caligis rubei, vel viridis coloris, vel manicis consutitiis, vel cappâ utatur manicatâ.*

XX. Quam parum verò profecerint vel pontifices per constitutiones suas, vel concilia per decreta, etiam iterata, & repetita, variæ ostendunt quærelæ eâ de re extantes. Circa equestrem Episcoporum ornatum quantus seculo decimo quarto extiterit luxus, dici potest ex Petri Clarevallensis epistolâ, quam sub nomine Jesu Christi scripsit ad Innocentium VI. Papam & Curiam Romanam anno MCCCLIII. cujus fragmentum, quod ad hanc rem facit, ex vetusto codice M. S. edidit Vir Cl. Stephanus Baluzius in not. ad Agobard.

pag. 82.

CAP.